118



inv. 11668536
118


luntati: aut vtilitati q̄ virtuti seruire. Solam Hispaniam ad honorem natam: pro honore & viuere posse: & mori, q̄ si vos ea quæ animis vestris a natura penitus insedit glorie cupido: si religionis pietas pro qua receptis ex hostium manib9 multis Regnis victores sępe pugnastis, Si deniq; vniuersi salus orbis mouet: patiamini quęso ęquo animo Regé vestrum paululum abesse; ea tamen lege vt rebus rite peractis confestim ad vos. Augustior redeat. Et vt finem faciá viri Hispani talem regem habituri estis: qualem vestra virtute: vestra magnitudine: vestra deniq; concordia feceritis. Vos.n.soli cursum fortunę meę iuuare; vos soli retinere potestis. Cum nec Hispanię quicq̄ deesse possit nec obesse: nisi seipsam Hispania deseruerit: aut illi Regi defuerit: qui nunq̄ Hispanię, defuturus sit. Quapropter curate quęso tum vestra, tum Regis vestri causa: vt paré animo suo, parem Imperio Regē se habere gloriari possit Hispania.

IANI VITALIS CIVIS ROMANI IN CORONATIONE CAROLI CÆS. IMP. MAX. PANÆGYRIS.



ILLVSTRISS. DOMINO DOMINO
Ioanni Hemanueli Cæs. Maiest. Consiliario
ac apud. S D. N. Oratorem Digniss.
Ianus Vitalis Ciuis Romanus, felicitatem,
.D.

NOn potui Illustriss. Domine quin & ego aliqđ congratulationis signum cum cõmuni omniũ lętitia ostentarem de accepta/a/Domino Nostro tam fauste, tam feliciter florentissimi Imperii corona, idq; apud Germanos/a/quibus & colitur, & obseruať ęque ac deus. Atq; vtinam res vt cœpere. i. secundę perseuerent, qđ non dubito, cum mecũ ipse repeto, Tot excellentissimorum ingenia diuturnis rerum vsibus satis exercita apud. S. Maiest. domi aduigilare, cumq; te foris apud. S. D. N. pro eadem insudare, cumq; etiam talem Principẽ eum esse existimo ac pro certo habeo, pro cuius authoritate conseruanda Fortuna, & Virtus pugnent, qua re ductus hæc extemporanea pene & magis ad animum erga Maiest. suam demonstrandũ q̃ aliud, ludere, tibiq; dedicare volui, tanq̃ interpreti apud Maiest. suam seruitutis erga se meę, accipe itaq; qualiacũq; sint & boni ac ęqui consule. Vale.



QVIBVS VERBIS VTERETVR FORTVNA, IN CORONATIONE CAROLI CÆS. IMP. MAX.

HOc ſcœptrum, Hunc Enſem,
Tibi nate hanc ecce Coronam
Inſignitam auro, argentoq́, Indiſq́ Smaragdis
Accipe dona tui Imperii inuictiſſime Cæſar,
Viciſti, & victam omnipotentes tendere palmas
Vidiſti nunq̃ domitas, nunq̃ ante ſubactas:
Nil in te poſſum, noſter labor irritus omnis
In te omnes vanę (ſi quas concepimus) iræ
Nanq́ ego cum multos felicibus vndiq́ cæptis
Fortunarim homines, tamen inde inimica inimicos
Oſtentaui animos, tenebriſq́, & inanibus vmbris
Rerum humanarum merſos, & ſordibus actos
Immundis ignominię, procul agmine ab illo
Fortunatorum eieci inſidioſa virorum;
Tu vero in terras diuum alto ex ordine miſſus
Maximus, & magno prognatus Cæſare Cæſar,
Humanum nihil, aut mortale in pectore ſeruas,
Omnia diuina, & diuinis ſedibus hauſta
Docta tibi exhibuit Natura, Vſuq́ magiſtro
Ars docuit mores æquos, Rectumq́, Bonumq́
Excolere, & ſtudiis non degenerare parentum,
Ergo vices noſtras nihil eſt q̃ nate tremiſcas,

Munitus præclaro animo, ingenioq; potente
Dilectus cæloq;, & sideribus pacatis.
Quinetiam (quoniã magna es mea gloria solus)
Fœdera iungamus pariter, communibus orbem
Auspiciis bello ardentem, furiisq; regamus,
Vos igitur Parcę, vos omnipotentia fata
Tendite crescenti iuueni non inuida stamen
Immortale, sibi longęuæ sęcula vitæ
Constituat, votis nec vos obsistite nostris
Ipsa ego magnanimũ horrẽdis comitabor in armis,
Teq; in pace pium, te publica iura gerentem,
Te miseros opibus firmantem, atq; omnium egenos,
Deniq; quicquid ages fortunatissime rerum
Fęlicem inuenies cursum/o fęlicia tandem hæc
Tempora, fęlices qui te regnante reguntur,
Maxime rex (Mundi cui res conceditur) æuo
Natus fortunato, & sidere fortunato,
Nunc igitur nunc pura Fides, nunc candida mũdum
Iustitia inuiset stabilis, iustoq; vigebit
Intemerata foro, iam iurgia, iam mala vulgi
Ambitio, & ritus imitantia probra ferarum
Vanescent, nũc illa dies qua publica mundo
Libertas oritur, manibus date lilia plenis
Aonides diuæ, Romanorumq; triumphos
Et Charolum, & Decimũ melius cantate Leonẽ
Fortunati ambo, quos arridentibus astra

Viribus aspiciunt, suspectos sidera vobis
Mutauere locos, & coniurata duobus
Principibus sine bile fauent, iam impellere secla
Dedidicere odiis mortalia, non fera Martis
Æstuat in vobis rabies, non dira cupido
Saturni, & miseros inhians accensa tumultus
Cornibus ęternum faustis Hyperionis ibit:
At tibi pulchra Venus niueum cõplexa iuuencũ
Stabit, & Herculeum spectabit læta Leonem
Vnde potens placida imperiũ cum pace gubernes,
Vnde Dionei fulget tibi Cæsaris astrum
Gratum cælicolis, felix mortalibus astrum.
Iuppiter ipse tibi nõ hunc tantum optimus orbẽ
Subdidit, ast alium ignotos patefecit ad Indos
Faucibus oceani extremis vbi sidera fulgent,
Nunq̃ nota prius, Zephyris vbi mollibus Annus
Luxuriat felix, atq; omnia perpetuum ver
Fert melius, diuum patria hæc, atq; omnipotentis
Naturę natale solum, sponte omnia tellus
Suggerit, & pomis populos vitalibus auget,
Pocula sufficiunt intacti mollia fontes
Et vulgo arboribus distillant dulcia mella,
Illum ego perpetuis tibi legibus integra mundũ
Firmabo, populosq; tuos tua iura docebo,
Ergo ibo ipsa meas gratissima visere sedes
Quæ fortunatis circum æquora blanda colonis

150

Insulę Oceano in medio loca grata tenentur.
Hinc ego dum innumerum (rerum ditione potitus)
Dona recognosces populorum, & nomina disces,
Dumq; recensebis moresq;, habitusq; tuorum,
Vsq; ab odoriferis mittam tibi dona Sabeis
Grandia, fulgebit pretiosis mixta Piropis
Purpura, & ornatis ostroq;, auroq; Smaragdis,
Aut Ebore, aut Adamante, aut puniceis Corallis:
Ergo Vale, & matris serua felicis amorem,
Per solatia cara, per altricem genetricem,
Sis carus populis, diis gratus, nil tibi turpe
Admittas, verę pro relligionis honore
Nil vnq̃ intentatum aio, infectumue relinquas,
Nam tibi cum magno generisq;, domusq; decore
Hoc Scœptrũ, hũc Ensem tibi nate hãc ecce Coronã,

AD CARO. CÆS. ROMANORVM REGEM EXORTATIO CONTRA THVRCAS.

Ode Tricolos Tetraſtrophos,

SI quis ſuperbas, diuitiis potens
Fundaret ædes vrbibus in bonis
Aphris columnis centum eburnis
Et ſolido trabibus metallo
Primum polita, & conſpicua velit
Et fronte ſpectari, & facie aurea,
Et porticu picta, & patenti
Veſtibulo bene conſtituto,
Mox clauſtra circum, atq; in medio atria
Componet ampla, & diuidet vndiq;
Aptas feneſtras, mox deorum
In nemore inſtituet ſacrato
Templūq;, & aram, quam ſuper integra
Aptat beatus lilia dextera,
Aut floribus miſcet roſarum
Mollem hederam, teneramq; Myrthum,
Sic nos domum ingentem hanc tibi Carole
Primum erigentes Pierio in ſinu,
Centum columnas has locamus
Grande decus decorum tuorum

In fronte regum progeniem tuam
Pingemus altam, & regibus inclytam
Stirpem trecentis, & potentum
Tot populos domitos Triumphis,
Hinc victum, & auulsum vrbibus/e/tuis
Pęnum rebellem, dum male Cantabrum
Ad bella sæuum, dum feroces
Asturas, Artabriosq; contra
Stat milites, & sanguine Punico
Calpen rubentem, hinc æquor Athlanticum,
Hinc Adriam desęuientem,
Hinc Siculum, hinc Libycum profundum,
Addam & tuarum præmia grandia
Virtutum in ipso fine puertię
Matura, florentem ante pubem,
Vere nouo tenerę iuuentę:
Virtus tenella crescit in arbore
Si culta tellus, si sola pinguia,
Regnare natus magna in vrbe
Rex iuuenis, bonus, atq; prudens
Missus deorum consilio venit,
Ad bella promptus, vim procul eruit,
Debellat hostes, vastat vrbes,
Et timor est populis propinquis,
Sic semper horrens Marmaricus Leo
Vngues acutos cote acuit, ferox
Vt mox ferarum sęuiori
Vi, rabidam rabiem repellat,

Desæuientem dehinc nimis in sitim
Diram cruoris febribus occupat
Natura, viresq;, & medullas
Atterit indomitas frementis
Æquum ferarum, Iuppiter, omnibus
Seclis colendum, & Iustitiam dedit
Quam nec repugnant, nec lacessunt
Sed proprios adhibent ad vsus
Natura leges omnibus intulit
Occulta, præscripsitq; adamantinis
In corde signis quæ sequatur
Bellua, cur fugiat quod obstat,
Non iura nobis, nec dedit impia
Præter ferocis damna superbię
Iras, labores, & tumultus
Horribiles, miseręq; cędis
Insanum amorem clausit in ossibus
Nec monstra nobis sęua magis dedit
Quam nosmetipsos ille rerum
Author, ad ingenium nocendi,
Concurrit armis alter in alterum
Deprælianteṡ, ille patri necem
Tenditq; fraudes immerenti
Impatiens nouus vt sit hæres
Alter veneni pocula noxii
Fratri prophanus porrigit, ah scelus
Nec parcit ipsis dira mater
Pignoribus, proprio aut marito

Sæcurum ab ipso nil homine est viris
Vnis, regendi mens hominum fame
Atq; auri auaro ducta amore
Cæca ruit facinus per omne
En en superbas Thrax ferus apparat
In nos cohortes, castraq; Parthica
Addit pharetratis Gelonis,
Et phrigios, celeresq; Persas,
Doctum & venenis spicula medicis
Armare Pænum, nec metuentia
In morte mergi gloriosa
Pro patria incolumi atra Bactra
Nec Terra tantum non capit has manus,
Verum per altum vela volant salum,
Credas superbas innatare
Cycladas, Æoliasq; moles,
Hæc est deorum consilio tuę
Decreta fronti laurea Carole
Nec tu sinas hostes inultos
Vertere sacra, fidemq; nostram,
Regum est Tyrãnos vincere perfidos,
Et pertinacem auferre superbiam,
Regi potenti grande probrum est
Ferre iugum rigidi Tyrãni,

FINIS.

